

quidem iuste petul ipsum absolvere. Num violat sigillum sacramentale?

3. Violat; quia declarat peccatum in confessione perceptum: licet enim hæc manifestatio non sit odiosa poenitenti, nihilominus ea opponitur virtuti Religionis, quæ nunquam permittit revelari peccata in confessione declarata. C. B.

Vide *Absolutio, Approbatio, Confessarius, Confessio, Contritio, Secretum, Occasio peccandi* cas. 3.

## SILVA.

1. Hic comprehenduntur variae lignorum species, ut alta ac proceræ, cædua, ædificiis ac navigiis apta, foco destinata, arida & exsucca.

2. Silvæ quædam sunt regie, aliæ Communitatum ecclesiasticarum tam sæcularium quam regularium, & aliæ privatorum.

3. Abbates atque Beneficiati, cum tantum sint administratores & œconomi bonorum Beneficialium, non possunt arbores altas ac proceras cædere absque permissione regia; imo nec ligna cædua, nisi requisitis prius rei saltuariæ Præfectis.

4. Arbores proceræ censentur inter bona immobilia, subjacentque, antequam cæte sint, juri retractus, non autem manus injectioni, nisi reali. Ligna cædua autem habentur pro bonis mobilibus, etiam si cæsa nondum sint, neque juri retractus subjacent, licet manus injectioni sint obnoxia, ut ligna proceræ jam cæsa.

5. Jus cognoscend super possessione ac proprietate silvarum est penes Prætores; circa depopulationes autem & strages silvarum cognoscendi jus habent Præfecti rei aquariæ ac saltuariæ.

CASUS I. Ulysses agricola pauperrimus tanta necessitate premitur cum uxore ac liberis, ut ex defectu ligni nec calefacere hypocæstum, nec cibum coquere posset. Suadetur ipsi, ut noctu silvam petat regiam, aut aliam ad Dominum loci pertinentem, ex eaque ligna pro sua necessitate asportet.

3. Ulysses ob extremam paupertatem absque peccato potest ex his silvis asportare pro necessario usu ligna arida, exsucca, putrida, aut vepreta, spineta, rubos & similia exigui valoris; dummodo stragem non edat notabilem. *Pontas.*

CASUS II. Bartholomæus & Lucia in contractu matrimoniali communia fecerunt decem jugera silvæ cæduæ; & hinc, Lucia anno ante cætionem hujus silvæ absque prole factis functa, Bartholomæus præteritum partem lignorum cæforum pro ratione temporis, quo vixit in conjugio cum Lucia; quia hæc bona erant utrique communia.

3. In quibusdam locis ligna cædua decimo quovis anno cæduntur; in aliis decimo quinto; in aliis vigesimo primum. Ex quo sequitur, superstiti conjugum in salvo esse jus suum commodum percipiendi ex ejusmodi bonis communibus. Hinc absque injustitia Bartholomæo denegari non potest pars lignorum, quam præteritum; & si ipsi denegaretur, posset agere contra hæredes uxoris suæ defunctæ. *Pontas.*

CASUS III. Moberthus agricola possidet domum ac villam; quæ cum necessario reparandæ essent, jus se habere non dubitabat necessaria ad reparationem ligna cædendi in vastissima silva communitalis, cujus ipse membrum erat. Incolæ vero reliqui opponebant sese, non aliud Mobertho jus concedentes, quam ligna cædendi pro foco suo necessaria.

3. Male se opponunt incolæ: Moberthus enim jure in silva communi ligna cædit non solum pro foco, sed & pro reparatione ædificiorum suorum necessaria. *Pontas.*

NOTA. Hic observandæ leges vel consuetudines particulares locorum. Si Moberthus haberet nudam casam vel domum recenter structam ex solo privilegio Principis, non est verosimile, Principem voluisse præjudicare juribus communitatis.

CASUS IV. Julius Abbas commendatitius vult cædere quædam jugera lignorum in silva pertinente ad Abbatiam suam, ex eorum venditione lucrum capturus.

3. Injuste agit Julius: Beneficiatus enim non habet dominium fundorum Beneficii sui. *Pontas.*

## SIMONIA.

I. Ex definitione S. Thomæ *Simoniam* est studiosa voluntas emendi vel vendendi aliquid spirituale vel spirituali annexum, sub quibus verbis S. Doctor comprehendit omnem conventionem aut contractum non gratuitum. Hinc simoniacum est, sive temporale detur tanquam pretium Beneficii, sive tanquam motivum illud eo certius obtinendi. Duæ sunt species Simonie, una est prohibita jure divino, altera jure eccle-

ecclesiastico; prior est, si quis offerat quidquam temporale, ut obtineat aliquid ex sua natura spirituale, ut sunt Sacramenta, vel ut obtineat spirituali annexum, ut sunt Beneficia, & sacra vasa: posterior est, quæ solum per Canones prohibetur; talis est permutatio Beneficii propria autoritate facta cum alio Beneficio; vel si quis emat officium, seu munus, cui annexum est jus exercendi jurisdictionem ecclesiasticam.

2. Simonia subdividitur in *mentalem*, *conventionalem*, & *realem*: Mentalis est sola mala seu perversa voluntas absque ullo contractu seu pacto expresso vel tacito. Conventionalis est ea, in qua præter malam voluntatem accedit conventio peccaminosa expressa, aut mala intentione facta; & hic observandum, ob talem Simoniam non incurri censuras, si mere conventionalis ac absque effectu sit. Realis demum in eo consistit, quod facta conventio simoniaca actu ab utraque convenientium parte executioni sit data.

3. De aliis tribus modis, quæ Simonia committi potest, & dicuntur *a manu*, *ab obsequio*, & *a lingua*, sermo infra recurret.

4. Est insuper Simonia species, quæ vocatur *confidentialis*; & hanc Pius IV. & Pius V. damnarunt, ac declararunt, eam committentes esse privandos omnibus Beneficiis & officiis ecclesiasticis, eosque & in futurum esse inhabiles ad ea aquirenda absque legitima dispensatione. Committitur autem hæc Simonia, dum vel expressa vel tacita sit conventio obtentum beneficium cedendi tertio, aut partem fructuum reddendi illi, qui Beneficium contulit; aut alteri, quem ille designaverit.

5. Conventus Cleri Gallicani censura notavit anno 1700. sequentes propositiones:

*Propositio LXIX.* Non est contra iustitiam, Beneficia ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa Beneficia ecclesiastica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione Beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

*Propositio LXX.* Dare temporale pro spirituali non est Simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale; vel etiam quando temporale est solum gratuita compensatio pro spirituali, aut econtra.

*Propositio LXXI.* Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale; imo etiamsi sit

sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud plaris æstimetur, quam res spiritualis.

**CENSURA.** Hæ propositiones temerariæ sunt, scandalosæ, perniciosæ, erroneæ; hæresim simoniacam sacra Scriptura, canonibus & pontificiis constitutionibus reprobata, mutato tantum nomine, per fallacem mentis sive intentionis directionem inducunt.

6. Propositiones istæ jam antea ab Alexandro VII. & Innocentio XI. damnatæ fuerunt.

**CASUS I.** Potamion Episcopus collaturus Beneficium curatum amplissimum evidenter digniori sex vocat presbyteros ad concursum seu examen, eique spondet Beneficium, qui præ cæteris se magis probaverit idoneum. Sedulius unus ex prædictis sciens, Sylvianum scientia facile eminentissimum compariturum ad concursum, promittit ei centum aureos hac conditione, ut tentamen pro consequendo Beneficio non subeat. Annuit iste, & hac ratione Sedulius Beneficium adeptus est. An in hoc casu propter initam conventionem & subsequutum effectum Simonia intervenit? Num etiam interveniret, si Sedulius rei cursoriæ Præfesto dedisset pecuniam hac conditione, ut Sylviano equum deneget, ne possit cursorem mittere Romam ad impetrandum in Curia Beneficium, antequam concursus instituat?

**B.** In primo casu intervenit realis Simonia; eoquod Sedulius non nisi ope pecuniæ obtinuerit Beneficium, quod ob eminentiam doctrinæ merito sibi sperare potuisset Sylvianus. Idem dicendum circa secundum casum, quia Sedulius data pecunia præcluserit impetrationem Beneficii Sylviano, qui eisdem provisionem in tempore adhuc Romæ obtinere potuisset. Unanimis Theologorum Parisiensium doctrina est hæc: *Exigere, dare, accipere aut promittere aliquid temporale pro Beneficio ecclesiastico obtinendo, sive per modum pretii, sive per modum motivi, aut gratuita compensationis, Simonia crimen est.* Et denuo: *Qui munus aliquod aut officium data pecunia, aut alia re pretio æstimabili sibi comparat ea intentione, ut Beneficia obtineat, simoniacus est.* Quibus verbis omne effugium intercluditur vanis subtilitatibus ac ingeniosis speculationibus laxiorum Casuistarum hominibus placencia loquentium. In utroque igitur casu Sedulius reus est Simonia; cum pecuniam dederit animo obtinendi Beneficium. *Pontas.*

**CASUS II.** Theopompus noviter fuit electus Archiepiscopus Diarbeckensis, interdictis tamen sibi omnibus dignitatibus suarum functionibus, nisi Praefecto Turcico prius solvisset 5000. florenos. An licite possessionem sui archiepiscopatus adire potest mediante solutione hujus summæ?

ꝛ. Aut Theopompus legitime fuit electus, vel non? si primum, jam acquisivit jus in re ad suam dignitatem; hinc cum consecratio ipsius & possessionis aditio non nisi injustissime impediatur a Praefecto Turcico, absque Simonia potest solvere petitos 5000. florenos. Verum si non fuisset canonicè electus, & dictam summam daret ideo, ut dignitatem hanc obtineret, absque dubio reum se faceret Simoniae realis. *Pontas.*

**CASUS III.** Pontianus presbyter, Doctor ac Professor Theologiae, vir pietate & sapientia conspicuus ab Irenæo patrono praesentatus fuit ad parochiam. Dum autem de doctrina sua suspectus haberetur, licet absque omni fundamento, non potuit ab Episcopo obtinere collationem & necessarium *Visa*. Pontianus per hanc denegationem injuriam sibi factam ratus, obtulit Secretario Episcopi viginti aureos, & sic collationem ac institutionem obtinuit. An non intercessit Simonia?

ꝛ. Nominatio ad Beneficium, per quam jus ad rem acquiritur, non sufficit ad hoc, ut quis se redimere possit ab injusta vexa; sed requiritur jus in re, quod tamen Pontianus per solam praesentationem necdum consecutus est: hinc etiam denegatio episcopalis *Visa* non potest dici injusta vexatio. Pontianus ergo, si intuitu oblatae Secretario Episcopi pecuniae parochiam obtinuit, verae Simoniae reus est. *Pontas.*

**NOTA.** Injustitia vexæ non desumitur tantum ab injusta exclusione a jure certo, sed etiam a jure spei v. g. a concursu, a communi examine, a defensione. Hinc si Pontianus scit, se esse certo innocentem, non est reus Simoniae.

**CASUS IV.** Judas aspirans ad parochiam vacantem Juvenali Patrono, quem secebat pecuniarum indigum ad prosequendam litem, donat triginta aureos, ut ipsius lucretur amicitiam, eumque ad sui praesentationem ad parochiam inducat; quin tamen illam postulasset. Juvenalis in recognitionem praesentavit Judam, qui obtenta institutione canonica sumpsit possessionem parochiae. Estne Judas Simoniae reus?

ꝛ. Na-

ꝛ. Natura Simoniae consistit potissimum in voluntate obtinendi spirituale per temporale aut temporale per spirituale. Juxta S. Bonaventuram in 4. dist. 25 art. 1. q. 4. ad committendam Simoniam sufficit spirituale non dare gratuito, aut non dare temporale nisi pro spirituali tanquam fine principali. Concordat in eo etiam D. Thomas in 4. dist. 25. q. 2. art. 2. quaest. 1. C. Ex quo sequitur, Judam esse reum Simoniae realis, & incurrisse poenas in simoniacos latas; cum triginta aureos Juvenali non dederit, nisi ex motivo obtinendi parochiam. *Pontas.*

**CASUS V.** Antonius patronus, homo pecuniae cupidissimus, offert Leandro praesentationem ad vacantem parochiam pro quinquaginta aureis. Leander interposito etiam juramento hanc summam daturum se spondet, sine animo tamen complendi promissum. Antonius igitur hac promissione inductus praesentat Leandrum, qui etiam post obtentam institutionem canonicam adit possessionem parochiae; & cum ab Antonio summa promissa postularetur, respondit, se absque labe Simoniae promisso stare non posse, provisionemque suam, siquid solveret, fore nullam. An Leander ob solam fictam promissionem, quam nunquam adimplere cogitaverat, Simoniam commisit?

ꝛ. Idem est in ordine ad committendam Simoniam juxta D. Thomam 2. 2. q. 100. sive solum, & quidem sicte, promittatur, sive actu detur temporale pro spirituali: quia semper verum est dicere, rem spiritualement obtineri pro temporali, quando obtinetur intuitu promissi, sine quo non fuisset obtenta, ut in praesenti casu. *Sanctorum Patrum sententiis consona sentientes*, inquit Patres Concilii Melphican. sub Urbano II. 1090. celebrati, *Dei & Apostolorum ejus parte praecipimus, ne quis ulterius dato vel promisso, vel pretio vel servitio ea intentione impenso, vel precibus episcopalem nitatur assequi dignitatem . . . Hoc idem etiam de omni ecclesiastica dignitate vel officio, Apostolica potestatis auctoritate praesigimus. Alias & dator & acceptor proprii Ordinis dignitate priventur.* *Pontas.*

**CASUS VI.** Albertus titulum habens in quadam Capellania, cum se ad statum clericalem haud vocatum sentiat, declarat Titiae amitae suae, se simpliciter velle resignare titulum ad dictam capellam Bremondo ipsius filio sine ullo motivo temporalis commodi. Interea elapso octiduo petit a Titia, ut sibi commodet 100. imperiales; Titia etiam hanc summam cum consensu sui confessorii commodavit Alberto, *Litt. Cas. Conf. Tom. III.* E e &

& quidem adhuc illo tempore, quo Albertus factam resignationem potuisset revocare. An Titia rea est Simonia?

R. Si Titia nullum omnino inuit pactum expressum, vel tacitum, & commodando dictam summam non intendit Albertum permovere, ne revocet factam resignationem, nec Simonia nec ullius peccati rea est. *Pontas.*

CASUS VII. Attilius presbyter in se suscepit munus Eleemosynarii apud quemdam ministrum regium ea principali intentione, ut autoritate hujus ministri aliquam Abbatiam obtineret; hinc etiam per decennium frenne suo functus est munere. Interea tamen præter 200. florenos, quod annum salarium erat, expendit de proprio peculio 500. florenos in sumptus pro conservando suo charactere necessarios. Tandem obtinuit Abbatiam, cujus annui redditus sunt 2000. floreni. An Simonia se reum fecit Attilius?

R. Si in acceptatione muneris Eleemosynarii principalis Attilii intentio fuit curandi solum spiritualia in domo ministri, licet secundaria ipsius intentio fuerit per bonam suam conversationem suo tempore promerendi aliquod Beneficium, excusari potest ab omni Simonia. Verum cum in casu ponatur, principalem ejus intentionem fuisse per sus servitia assequendi Beneficium, a Simonia purgare se non poterit: ea enim committitur, quodcumque pro consequendo spiritali datur temporale, quale est servitium. *Bonum temporale, quod potest aliquis ab alio expectare,* ait S. Thomas in 4. dist. 25. q. 3. art. 3. C. *vel est ex parte animæ, sicut amicitia aut favor; & quantum ad hoc est munus a lingua: vel ex parte corporis, sicut aliquis actus corporaliter exercitus; & quantum ad hoc est munus ab obsequio: vel est aliquid exteriorum honorum; & sic est munus a manu.* Quantum ad primum, committitur Simonia per munus a lingua; quia lingua opinionem exprimit & gratiam conceptam. Quantum ad secundum, per munus ab obsequio. Quantum ad tertium, per munus a manu. Si igitur ex triplici hoc rerum temporalium genere quidquam pro re spiritali detur, Simonia committitur. Verum quidem est, in casu Simonia a lingua vel ab obsequio de se non incurri censuras, nec privationem Beneficii; ille tamen, qui obtinuit Beneficium per Simoniam a lingua vel ab obsequio, non est legitimus possessor ac Titularis in foro interno; ideoque non potest illud resignare aut retinere, nisi ex permissione confessorii, qui eam ex justa causa concedere potest: confessorius enim habet jus cognoscendi & judicandi de actibus peccitentis internis. *Pontas.*

CASUS VIII. Lucillus presbyter & Doctor Theologiae suscepit munus Vicarii generalis, aut Missionarii apud quemdam Episcopum ex hac principali intentione, ut per hoc, quod se impendat functionibus pure spiritualibus, obtinere possit dignitatem aut præbendam in ecclesia cathedrali. An ipsius intentio simoniaca est, aut vitiosa?

R. Intentio Lucilli certe vitiosa est, quia juxta S. Bernardum de vita & moribus Clericorum c. 5 invertit ordinem naturalem utendo rebus spiritualibus tanquam motivo acquirendæ rei temporalis, quo fit, ut finem ordinet ad media; cum tamen media ordinanda essent ad finem. *Pontas.*

Vide *Cas. xi.*

CASUS IX. Sidonius Episcopus unam præbendam dedit suo nepoti, & alteram suo cognato hac intentione, ut suas partes in capitulo, cujus aliqua membra se ipsi opposuerunt, redderet fortiores, & etiam ut sua familia fieret illustrior. An reum se fecit Simonia mentalis?

R. Juxta S. Thomam in 4. dist. 25. q. 3. art. 3. ad 7. ejusmodi intentiones sunt simoniacæ. *Qui intendit aliquod bonum in se ipsum redundans; ait, sic quod magnificetur per hoc & nobilitetur domus sua, vel quod ipse in consanguineis sit fortior; & sic ipse aliquid accipere sperat, pro quo spiritualia dat & Simoniam committit, & reducit ad id munus in quo continetur commodum, quod ex tali ratione sperat.* *Pontas.*

CASUS X. Didacus Decanus ecclesie cathedralis exhibuit aliqua beneficia temporalia Jacobo & aliis suis Concanonicis ea de causa, ut eos sibi reddat faventes non ex motivo proprii commodi, sed procurandæ Dei gloriæ, boni Ecclesie, & salutis proximi causa in deliberationibus capitularibus, in quibus sæpe contrarios sensit. An simoniacum quid intercessit?

R. S. Thomas Quodl. 4. art. 23. C. nullam in hoc casu Simoniam reperit; cum nulla intervenit pactio aut conventio Didacum inter & Canonicos, quibus beneficia temporalia præstitit, ut circa spiritualia gloriam Dei concernentia sibi consentientes haberet. *Alioquin,* ait S. Doctor Opusc. 17. c. 13. *si non liceret aliquem per temporalia beneficia provocare ad aliquod spirituale bonum; illicitum esset, quod in quibusdam ecclesiis quædam distribuuntur his, qui ad Officium divinum accedunt.* *Pontas.*

CASUS XI. Quidam Episcopus jam per plures annos secum habet Clericum, qui munus Eleemosynarii obibat, &

huic Clerico ratione præditorum servitorum cogitat conferre Beneficium. An id fieri potest absque Simonia?

R. D. Thomas 2. 2. q. 100. art. 5. ad 1. distinguit duplex servitium, quod Eleemosynarius aut capellanus domesticus Episcopo præstare potest; unum spirituale, quod tendit ad gloriam Dei, & utilitatem Ecclesiæ ac ministrorum ejus; alterum mere temporale, ut est v. g. cura & administratio bonorum patrimonialium ad Episcopum vel ejusdem familiam pertinentium, cura causarum forensium &c. Primum genus servitorum non solum Clericum non reddit indignum, sed potius dignum Beneficio; non autem alterum, & absque Simonia Episcopus non potest remunerari id genus servitii per collationem Beneficii. *Pontas.*

Vide cas. 4. & 8.

CASUS XII. Alexander Abbas pauperes habens confanguineos, quibus tamen omnibus succurrere non potest, contulit Joanni cognato suo, quem generosi animi esse sciebat, Prioratum, cujus annui redditus 1000. imperiales sunt, hac intentione, ut suis succurreret confanguineis, alias certe istum Prioratum collaturus alteri. An ista intentio Alexandrum immunem reddit a Simonia?

R. Non est quidem simoniacum conferre Beneficium confanguineo gratis ex solo motivo affectionis erga illum, illicitum tamen est juxta S. Thomam 2. 2. q. 100. art. 5. ad 2. carnemque sapit & sanguinem. Si autem sic conferatur Beneficium cum pacto, aut etiam cum primaria conferentis intentione, ut provisorius, ex redditibus Beneficii succurrat pauperibus confanguineis collatoris, ut fit in præsentis casu, aperta intervenit Simonia. *Pontas.*

CASUS XIII. Archenaldus, jure præsentandi ad parochiam gaudens, præsentavit quemdam presbyterum ex hac unica ratione; quia a suo amico literas recommendatitias attulerat, quin tamen aliunde ipsius merita nosset. An reus est Simonia, præcipue si sibi commendatus indignus est Beneficio?

R. Præsentatio hæc est simoniaca. *Videtur ad munus a lingua principaliter intendere*, ait S. Thomas 1. c. ad 3. *qui preces pro indigno porrectas exaudit; unde ipsum factum est simoniacum.* Si vero præsentatus est dignus, juxta eundem S. Doctorem præsentatio non est simoniaca; quia meritum est causa legitima cuiquam conferendi Beneficium. Nihilominus si quis præsentat aliquem non intuitu meritorum, sed

ex

ex mero respectu humano, certe committit Simoniam ob vitiosam intentionem. *Pontas.*

CASUS XIV. Jeremias jus habens præsentandi præsentavit ad quoddam beneficium Leonfredum, subjectum maxime dignum, ex hac principali intentione, ut præsentando tale subjectum sibi aquirat æstimationem, approbationem, & laudes aitorum hominum. An ob talem intentionem Simonia reum se fecit?

R. Reus est Simonia mentalis; quia ipsius præsentatio non fuit gratuita. Ita docet S. Gregorius Papa in C. *Sunt nonnulli*. ubi ait: *Sunt nonnulli, qui quidem numerorum præsentia ex Ordinatione non accipiunt, & tamen sacros Ordines pro humana gratia largiuntur, atque de largitate eadem laudem solummodo retributionem quæerunt: hi nimirum, quod gratis acceptum est, gratis non tribuunt; quia de impenso officio sanctitatis numerum expetunt favoris.* Idem docet S. Thomas in 4. dist. 25. q. 3. art. 3. ad 4. *Pontas.*

NOTA. Cum intentio obtinendi laudem non fundet passionem ullam aut obligationem, non est Simonia, licet si venialiter deordinata. Vide Cas. 15.

CASUS XV. Junianus Capellaniam sui Patru, qui sibi resignationis ejus spem fecerat, obtenturus sacros ordines recepit eo maxime fine, ut obtenta Capellania commodius vivere posset. An hic finis & hæc intentio Simonia caret?

R. Juxta Concilium Tolosanum 1056. celebratum Clericus ad ipsius abbatialis dignitatis causa monachus effectus, nullatenus admittendus est. Hinc videtur concludendum a pari, Clericum non posse admitti ad presbyteratum, si solum ipsius intentio sit acquisitio Beneficii. Ex hoc igitur sequitur, Junianum absque peccato non potuisse recipere presbyteratum, si solum intenderit per hoc acquirere Capellaniam sui Patru. Ita Fagnanus in Cap. *Cum autem nostram*. n. 19. Junianus autem non tenetur quidem ad renunciationem Beneficii, sed tamen ad agenda de commissio peccato penitentiam. Id genus hominum deordinata hac ac vitiosa intentione sacros Ordines suscipientium luculenter manifestat, statum ecclesiasticum non considerari a se ut normam sanctitatis & virtutis, sed solum ut medium aquirendi sustentationem ac commoditates corporales, ut ait Catechismus Concilii Tridentini de Sacram. Ord. n. 7. *Cujus quidem rei argumento est, quod nisi opulentum aliquod ecclesiasticum Beneficium iis deseratur, nullam sacri Ordinis cogitationem habent.* *Pontas.*

CASUS XVI. Palladius parochus, offert resignationem Beneficii sui in favorem Lucii, hac conditione, ut sibi Lucius restituat 10. florenos pro provisione sui Beneficii, & alios 50. florenos in litem causa sui Beneficii motam a se expensas. An Palladius has summas a Lucio accipere potest absque Simonia, si hic in solutionem consenserit, quamprimum Palladius subscripserit procuracionem resignationis in sui favorem?

ꝑ. Sub quocumque demum prætextu Palladius non potest recipere pecuniam absque Simonia reali: solutio enim hujus pecuniæ Lucio esset medium acquirendi Beneficium, quod Palladius non esset resignaturus nisi sub conditione numerandæ sibi pecuniæ. Ita S. Thomas 2. 2. q. 100. art. 2. ad 5. Sic quoque decidit Alexander III. in causa simili Clericum inter & Religiosos agitata circa Beneficium quoddam. Clericus Beneficio se cessurum spondebat, si sibi a Religiosis solverentur tres marchæ argenti in compensationem expensarum, quas fecerat pro aquirendo Beneficio. Contractum autem hunc pro approbatione ac confirmatione sibi exhibitum Papa reproboavit ut illicitum. *Pontas.*

NOTA. Cum hæc Simonia sit tantum juris ecclesiastici, & parvitas summa non sit præsumenda, fuisse a Papa comprehensa in reservationibus facultatum episcopaliū ultra montes, censeo, Episcopos ultramontanos in hoc genere Simonia dispensare posse.

CASUS XVII. Rutilius parochus in sua parochiali domo nova duo construi curavit cubilia, & adjacentem emit hortum: resignaturus jam suum Beneficium Cæsari hanc addit conditionem, ut compenset expensas in constructionem duorum cubilium, & emptionem horti factas, nimirum 350. florenos. An ista resignatio simoniaca est?

ꝑ. Certe simoniaca est: duo enim ista cubilia & hortus sunt pars Beneficii, hinc illa emere est emere ipsum Beneficium. Deinde si ista cubilia & hortus non fuerint necessaria, sed tantum ad commoditatem servient, non potest compensationem expensarum & commoditatum suarum exigere; si vero fuerint necessaria, parochianorum expensis paranda fuissent. *Pontas.*

CASUS XVIII. Statilius acceptavit resignationem parochiæ a suo Patruo hac conditione oblatam, ut 50. florenos elargiatur pauperibus parochianis; & hanc conditionem implevit. An ista conventio simoniaca est?

ꝑ. Omnes conventiones, quæcumque demum, exceptis iis, quæ onera concernunt Beneficio annexa, reddunt resignationes, permutationes, & renunciations Beneficiorum illicitas ac simoniacas; a qua labe solus Pontifex eas purgare potest. *Licet sint hæc pietatis opera*, ait Cabassutius L. 5. c. 3. n. 5. *habent tamen materiam temporalem pretio æstimabilem; & si fiant ex pacto consequendi rem sacram, in Simoniam degenerant.* Non potuit ergo Statilius sub dicta conditione acceptare resignationem Beneficii a Patruo sibi factam. *Pontas.*

CASUS XIX. Telemachus & Saturninus ultra annum jam litigabant de quadam parochia, ad quam uterque judicio advocatorum suorum jus liquidum habere se contendebat. Hortante autem quodam parocho hanc tandem transactionem inierunt; nimirum ut Telemachus cedat jure suo ad parochiam, Saturninus autem procuret ipsi Capellaniam simplicem patronatus laici, cujus quidem titularis non est, actualem autem possessorem facile ad resignationem, permuturum se spondet; ad hæc offert Telemacho 40. aureos in compensationem expensarum in litem hucusque factarum. Estne hæc conventio canonica? An non potest dici, Saturninum hanc summam dare ad redimendam injustam vexam Telemachi? Supposito quod hæc ratio conventionem a Simonia non excuset, an non bona fides eos eximit a pœnis in simoniacos latis, & a restitutione fructuum; maxime cum hæc transactio solum amore pacis, & finiendæ tandem litis causa inita fuerit?

ꝑ. Conventio hæc non est canonica: in omni enim permutatione legitima requiritur, ut permutantes actu sint provisi de Beneficiis permutandis; Saturninus autem non possidet actu Capellaniam, sed solum eam Telemacho procuraturum, & insuper 40. aureos daturum se promittit in compensationem expensarum litis. Hinc Saturninus parochiam non obtinet, nisi sub conditione numerandæ Telemacho pecuniæ, & procurandæ ipsi Capellanæ; id quod eum Simonia realis reum constituit. Neque a Simonia excusat falsus prætextus injustæ vexæ; quia ex testimonio advocatorum utriusque jus est indubitatum, & consequentur uterque illud absque injustitia prosequi potuisset. Denique nec prætextu bona fides, quæ fundatur in ignorantia crassa & culpabili, contrahentes excusat a labe Simonia, & hinc nec a censuris in simoniacos latis, & ab obligatione restituendi fructus Beneficii. *Pontas.*

*Nota.* Sicut vota dubii valoris non sunt reservata Papæ, ita nec casus Simonia dubia, vel certe malitia quoad gravitatem dubia. Poterit proin circa ejusmodi casus dispensare Episcopus. Vide cas. seq.

**CASUS XX.** Bertinus & Albertus jam per sex menses litigant inter se ratione cujusdam parochiæ, cujus annui redditus efficiunt summam 600. florenorum. Tres celebres Advocati asserunt valde justam habere causam Bertinum, & alii tres Advocati idem judicant de causa Alberti. Verum cum Alberto pecunia ad prosequendam litem deficiat, Bertino cessionem sui juris offert pro 100. aureis, & Bertinus consentit. An hæc pactio est simoniaca? Num idem dicendum, si Bertinus cederet jus suum Alberto hac conditione, ut sibi solvat centum aureos pro fructibus grossis, quos intra sex menses suæ provisionis parochialis percipere debuisset, & tamen non percepit?

3. Conventio, qua Albertus cedit jure suo in favorem Bertini, certe est simoniaca: jus enim ad Beneficium, cum sit res pure spiritualis; pretio æstimari & pecunia acquiri non potest. Aliud tamen dicendum de cessione Bertini Alberto: Bertinus enim posset exigere centum aureos ut fructus legitime sibi debitos ob servitia Beneficio præstita; cum justum sit, ut pro functionibus parochialibus fructus recipiat pro ratione temporis, quo parochiæ deservit. Cavendum autem, ne conditio solvendorum centum aureorum ingredatur tractationem cessionis, ut tollatur omnis apparentia ac suspicio Simonia. Cedendum igitur pure ac simpliciter, reservata tamen facultate exigendi solutionem pro fructibus sibi debitis, & necdum perceptis. Et si Albertus postmodum hanc solutionem præstare recuset, poterit via juris ad id compelli. *Pentag.*

**CASUS XXI.** Jacobus resignavit parochiam suam Joanni reservata sibi pensione 200. florenorum: Joannes autem post tres menses eam permutavit cum parochia Petri, qui, ne mortuo Joanne teneretur superstiti Jacobo solvere pensionem 200. florenorum, sequens executus est consilium a Doctore quodam amico suo sibi suggestum: 1. Reservat sibi ex prioris sua parochia 150. florenos annuatim a Joanne solvendos, 2. Scripto privato propria manu signato ac in manu Doctoris illius deposito consentit, ut dicti 150. floreni solvantur Jacobo nomine Joannis in partem pensionis ab hoc Jacobo præstandæ; reliquos 50. florenos singulis annis Jacobo se implereterna spondet, 3. Denique addit, pensionem 150. flo-

1000-

renorum sibi reservatam solum tamdiu esse solvendam, quamdiu solvenda esset Jacobo pensio 200. florenorum. Quæritur jam 1. An non contractus iste Simoniam involvit? & supposito quod ita, estne a Joanne & Petro Roma petendum Breve absolutionis & condonationis perceptorum fructuum? An non interea, usque dum Breve Roma obtineatur, Episcopus eos rehabilitare potest in ordine ad exercendas functiones suas, ut hac ratione evitetur scandalum. 2. Supposito quod contractus non sit simoniacus, teneturne Petrus solvere 200. florenos Jacobo ante judicialem condemnationis sententiam, non quidem vi contractus ac privatae syngraphæ, sed vi tituli in parochia a Jacobo resignata, quo Petrus facta permutatione gaudet; quamvis vi contractus solum ad quartam partem teneatur? 3. Posito, quod Petrus teneatur ad solutionem 200. florenorum, an non potest exigere pensionem 150. florenorum a Joanne; quamvis illam sibi non reservaverit nisi ea conditione, ut hi 150. floreni pro se & Joanne solvantur Jacobo; cum ambo existimaverint, contractum suum esse canonicum? 4. Si Jacobus, qui vi contractus a Joanne solutionem 150. & a Petro 50. florenorum recepit, & hanc summam 200. florenorum solummodo a Joanne recepisse se testatus est, de annua pensione in futurum remittat 50. florenos, contentus pensione 150. florenorum, cuiusmodi hæc condonatio facta esse censetur, Joanni aut Petro, si eorum conventio simoniaca est? 5. Posito quod Petrus solus totam summam 200. florenorum Jacobo solvere debuerit, & Joannes salva conscientia 150. florenos solvere non potuerit, ut cum Petro convenerat, & conventio jam per plures annos executioni data est, an non restitutio facienda est? & cui? quomodo? & a quo? 6. Si Petrus parochiam suam permutare vellet cum Beneficio Titii; hic autem in eam consentire nolle nisi ea conditione, ut sibi a Jacobo pariter 50. floreni condonarentur, an Petrus ante executionem propositæ permutationis apud Jacobum instare potest, ut continuet in favorem Titii condonationem 50. florenorum, ejusque continuandæ scriptam cautionem tradat? 7. Si contractus Petrum inter & Joannem est simoniacus, & Petrus solus stimulante conscientia in penitentiaria Romana petiit ac obtinuit Breve absolutionis, teneturne desuper monere Joannem semper adhuc in bona fide persistentem? 8. Posito denique, quod Petrus teneatur, aut saltem consultus iudicet monere Joannem de Simonia, si qua subit, & ideo ipsi declaret, se tuta conscientia non amplius recipere posse 150. florenos, aut recedere,

E e 5

ut

ut Jacobo solvantur juxta contractum privatum; potestne Petrus nihilominus acceptare solutionem pensionis, aut permittere, ut Joannes eam solvat Jacobo ut antea, si Joannes aut ex ignorantia, aut ex generositate, aut ex amicitia erga Petrum vellet continuare solutionem pensionis?

3. Contractus iste est indubitato simoniacus, ut manifeste desumitur ex decretalibus variorum Pontificum, ac canonibus plurium Conciliorum; inter quæ Concilium Rothomagense de anno 1581. ait; Omnes pensiones & pactiones super Beneficiis, in quibus non intervenit Sedis Apostolicæ approbatio, illicitas & simoniacas declaramus. His prenotatis respondetur ad 1. Petrus & Joannes indigent absolute Papali, condonatione fructuum & rehabilitatione. Sed usque dum ea Roma adveniat, poterit is Episcopus dare facultatem exercendi functiones parochiales, a quibus tanto tempore abstinere non possent sine scandalo parochianorum ac propria infamia: in ejusmodi enim casu præsumendum non est, Pontificem habuisse intentionem sibi reservandi hanc potestatem, utpote quæ antiquitus connaturaliter pertinuit ad jurisdictionem episcopalem. Ad 2. Petrus tenetur solvere Jacobo pensionem integram 200. florenorum, non obstante conventionione, quam cum Joanne inivit, quartam solum partem solvendi: Jacobus enim resignavit parochiam suam ea conditione, ut sibi solvatur annua pensio ex redditibus resignati Beneficii. Ad 3. Cum contractus sit simoniacus, & consequenter conventio nulla, vi cuius Joannes tenetur Petro solvere pensionem 150. florenorum, Petrus nullum habet jus exigendi hanc summam: licet enim etiam Joannes culpam contraxerit, verum tamen semper est, titulum Petri esse nullum; quia nulla in Beneficio potest constitui pensio sine autoritate Papæ; imo ipsa permutatio Beneficiorum fieri non potest absque autoritate legitimi Superioris. Ad 4. Facta a Jacobo voluntaria condonatio 50. florenorum in solius Petri cedit commodum; quia pensio ecclesiastica nil aliud est quam reservatio partis fructuum beneficialium exsolvendæ a successore resignantis. Ad 5. Petrus ut titularis ecclesiæ, cum ad pensionem 200. florenorum Jacobo præstandam solus teneretur, & tamen singulis annis 150. florenos a Joanne solvendo curaverit, tenetur ad restitutionem: titulus enim, ex quo hanc a Joanne summam exegit, nullus est. Restitutio autem juxta S. Thomam non Joanni, sed pauperibus facienda est aut ecclesiæ. Ad 6. Petrus potest quidem petere continuationem condonationis 50. florenorum in favorem Titii, idque in scripto; cum hic fa-

vor ex parte Jacobi foret mere gratuitus, & cederet in commodum titularis parochiæ. Verum si Petrus hanc condonationem non nisi sub conditione permutationis cum Titio faciendæ obtineret, pactio esset simoniaca. Ad 7. Petrus tenetur in conscientia monere Joannem de Simonia contractum hunc inficiente, si eam ignorat; alioquin enim eum relinqueret in ignorantia vincibili, & in possessione Beneficii canonice non obtenti, ac consequenter in evidenti periculo damnationis. Ad 8. Si denique Petrus Joanni declaravit, se jure non posse exigere pensionem annuam 150. florenorum, nec etiam permittere, ut ista summa pro se solvatur Jacobo vi privati contractus, & Joannes nihilominus continuaret solutionem, possit Petrus eam recipere; dummodo non fiat ex redditibus Beneficii, sed ex bonis propriis Joannis. *Pontas.*

CASUS XXII. Frodulphus Religiosus titulo gaudens cujusdam Capellaniæ reddituum 100. florenorum, eam cedit Abbati suo pro Prioratu reddituum 400. florenorum. Gilbertus ejusdem monasterii Religiosus obtulit Frodulpho alium Prioratum reddituum 750. florenorum, quam in provincia extera possidebat, his tamen sub conditionibus: 1. Ut sibi procuraret præfatum Prioratum 400. florenorum. 2. Ut annuatim sibi solvat pensionem 150. florenorum, ut commodius vivere possit. Frodulphus rem proposuit Abbati suo, qui & in pactionem consensit, addita tamen limitatione, ut Frodulphus pensionem 150. florenorum solvat non ex redditibus Prioratus, sed ea sumatur ex pensione ipsi a matre moriente constituta in quodam prædio, quod pro securitate pensionis Gilberto oppignorari deberet. Hanc limitationem accepit Frodulphus, & mox cum Gilberto contractum inivit a duobus Notariis signatum. His ita actis uterque pure ac simpliciter resignavit in manus sui Abbatis, qui Gilberto contulit Prioratum 400. florenorum, & Frodulpho alterum 750. florenorum, quem possedit Gilbertus. An consensus Superioris tollit in hoc casu Simoniam?

3. Contractus iste indubitato est simoniacus; quia resignatio Frodulphi, quæ quidem videbatur pura & simplex, involvit pactum & conditionem sine qua non, ut scilicet ab Abbate obtineat Prioratum 750. florenorum, quem Gilbertus cessit ea sub conditione, ut obtineat alium Prioratum 400. florenorum una cum pensione mere laica 150. florenorum; ex quo sequitur, Frodulphum & Gilbertum incurrisse penas in simoniacos latis. Conventio hæc est insuper vitiosa ratione pensionis 150. florenorum stipulatæ eum in finem, ut Gilbertus commodius possit vivere, id quod voto paupertatis



tis adversatur. Consensus Abbatis omnino non excludit Simoniam: Abbas hac in re nequaquam cum Religiosis suis dispensare potest. *Nec aestimet Abbas, inquit Innocentius III. Cap. Cum ad monasterium, 6. Lib. 3. Tit. 35. quod super habenda proprietate possit cum aliquo monacho dispensare.* Ratio, quam allegat est hæc; quia abdicatio omnis proprietatis statui religioso non minus essentialis est quam continentia. Denique vitiosus ac iniustus est contractus iste ex eo; quod Produlphus propria autoritate & sine consensu communitatis religiosæ disponat de redditibus prædii, cuius proprietatis utique non penes ipsum, sed penes monasterium est. *Pontas.*

**CASUS XXIII.** Ausonius parochiam suam resignavit Simeoni reservata sibi pensione 200. florenorum, in cuius allocationem Simeon ipse cautionem civilem præstitit. An in hac pacto cum permissu Papæ facta Simonia intervenit?

R. Si in hoc casu Simonia intervenit, ea est tantum juris ecclesiastici, circa quam Papa dispensare potest. Quamvis juxta leges canonicas nunquam liceat petere aut acceptare cautionem pro pensione in Beneficio constituta; non tamen committitur Simonia, si cautio acceptetur permittente ac approbante Pontifice. *Pontas.*

**CASUS XXIV.** Manfredus Clericus tonsuratus fundavit in ecclesia collegiata Canonicatum ea intentione, ut Capitulum Canonicatum hunc ipsi conferat, quod & factum est. An Simonie reus est?

R. Haud dubie Manfredus commisit Simoniam, utpote dans temporale pro dignitate ecclesiastica acquirenda; imo ipsum Capitulum, si Canonicatum ipsi contulit mere intuitu hujus boni temporalis, Simonie reus est. Addit tamen Innocentius III. Cap. *Tua nos, 24. Lib. 5. Tit. 3.* hanc exceptionem: *Si vero pure ac sine pacto vel conditione qualibet offerat, rogans humiliter, ut in Canonicum admittatur, & bona sua retinere sibi liceat pro præbenda, & Clerici ejusdem ecclesie pure consentiant, hujusmodi receptio fieri poterit absque scrupulo simoniacæ gravitatis.* *Pontas.*

Vide cas. seq.

**CASUS XXV.** Polydorus aspirat ad Canonicatum in ecclesia cathedrali, scitque Patritium ecclesie hujus Canonicum præbendam suam facile permutaturum cum Beneficio simplici: hinc consilium suum executurus Polydorus fundat Capellam, eamque dotat annuis redditibus 300. florenorum. Capella hæc Polydoro vix collata est, offert eam Patritio permutandam cum Canonatu; & actu permutatio suam sorti-

ta est effectum. An non peccavit Polydorus & Simoniam commisit?

R. Certe hæc permutatio est simoniaca: Polydorus enim absque Simonia non potuit capellam fundare eo fine, ut sibi conferatur, multo minus ea intentione, ut vix obientam mox permutaret cum præbenda Patritii. Ut quis digne recipiat Beneficium, requiritur, ut non solum possit, sed & sincere velit eidem deservire: *Cum illi sint in Ecclesia idonei reputandi, ut ait Gregorius IX. Cap. Super. 15. Lib. 3. Tit. 5. qui servare possunt & volunt.* Polydorus igitur graviter peccavit, & excommunicationem incurrit. *Pontas.*

NOTA. Fundator potest ponere legem foundationi de se justam assentiente Episcopo. Hinc cum intentio fundatoris non sit certo simoniaca, casus non est reservatus Papæ. Vide dicta ad casum 19.

**CASUS XXVI.** Sempronius titularis capellæ fundatæ in ecclesia cathedrali eam permutare cogitat cum simplici Beneficio Theodati minorum longe reddituum. Capitulum autem, quod jure collationis gaudet, consentire renuit; eo quod Sempronius ad titulum dictæ Capellæ subdiaconus ordinatus fuerit. Verum ad tollendam hanc difficultatem pater Theodati spondet, se in favorem Sempronii titulum constitutum in fundis suis propriis, ut sic Capella Sempronij reddatur libera; & ad id consensum Capituli petit. Etsi hæc agendi ratio simoniaca?

R. Quamvis regulariter loquendo licitum sit titulo beneficii substituere titulum patrimoniale, dummodo hæc immutatio fiat autoritate legitimi Superioris; non tamen hoc patris Theodati consilium videtur probari posse ut canonicum: licet enim Theodatus nec donet nec promittat quidpiam temporale Sempronio, sufficit tamen, quod pater ipsius, tanquam tertius, hac ratione tanquam medio utatur comparandi filio Beneficium, quod videtur simoniacum 1. Quia constitutio tituli in favorem Sempronii est favor pure temporalis & pretio æstimabilis. 2. Quia pater non offert constitutionem tituli nisi ad facilitandam inter ipsum & filium permutationem. *Pontas.*

**CASUS XXVII.** Abbatia quædam Ordinis Cisterciensis possidebat Prioratum reddituum 150. florenorum, quem utpote commodissime adjacentem communitas religiosa alterius Ordinis suo cum monasterio unire cogitabat. Abbas Cisterciensis cum Capitulo consentit etiam in hanc unionem, ea tamen conditione, ut Abbatie Cisterciensis in perpetuum annua